

Forfatter: Ewald, Johannes

Titel: §. vii.

Citation: Ewald, Johannes: "§. vii.", i Ewald, Johannes: *Johannes Ewalds samlede skrifter*, Gyldendal, (1969), s. 122. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/text/adl-texts-ewald03val-shoot-idm140321582105152.pdf> (tilgået 20. september 2021)

Anvendt udgave: Johannes Ewalds samlede skrifter



§. vii.

Ut vero in notione artis hujus evolvendâ ipsius artis magistri; ita quoque in laudibus illi tribuendis vel detrahendis toto coelo discrepant reliqui. Sunt, qui plane contemnunt. Horum plerique vel sunt Maecenates, docti quidem interdum, sed omnia, quæ ad poësin spectant, fastidientes, dum scilicet ab istis quibus quotidie obruuntur næniis ad reliqua artis concludunt: vel etiam divites moriones, qui dum ex paupertate complurium Poëtarum de artis utilitate judicent, eam flocci putant: vel denique docti quidam superbiores, qui, si labores suos Herculeos, cum leviusculis Poëtarum jocis, ut loqui solent, forte comparare instituunt; nihil plane utile, nihil erudito homine dignum in poësi inveniunt. Horum, cum invidiâ ducantur, omnium sine dubio acerrimum est odium. Missos vero hosce facimus, quum & supra poëseos usum ipsi evicerimus, & sapientioribus quibuscumque constet, falli qui ultimum eruditionis gradum Poësi deberi asserunt. Falluntur vero etiam alii, qui nimis laudibus artem hanc ad caelum usque tollunt. Ut vero abunde pateat, quæ quantæque laudes bono partibusque suis rite fungenti poëtæ debeantur, attributa ejus necessaria pariter ac officia, exponam ut potero brevissime, totus hac in re Marmontelium secuturus.